



1630.

1. Beneggerus, Matthias : De principe ejusque officio
2. Casparius, Christianus : Turis controversi positiones  
verbales
3. Cursadi, Fructuosus : De reversione contra ~~verba~~  
injurias hodie passim usurpata
4. Denckwerth, Theodorus : De annuis redditibus  
emptione comparatis
5. Erhardus, Melchior : De querela inofficiosi  
testamenti.
6. Kuleffel, Daniel : De peregrinatione studioso  
rum. Oratio
7. Locamerus, Georgius David : De obligationum con-  
tractuum speciebus IV ; videlicet emptione - vendi-  
tione, locatione - inductione, societate et mandato
8. Nicolai, Theodorus : De foro competenti seculari et  
ecclesiastico.

1631

1. Cluber, Fructuosus : De testamentis ordinandis



1631.

2. Jegineck, Francus: De pignoris et hypothecis  
amen quoque jure pignorationis
3. Hüenerer, Adamus: De restitutione usufructuaria  
ex interdicho unde vi
4. Langenbeck, Henricus: De cessione actionum
5. Locamerus, Georgius David: De jure comitorum
6. Locamerus, Georgius David: De famosis libellis
7. Locamerus, Georgius David: De Transactionibus

1632

1. Mitschias, Casparius: De querela non numeratae  
pecuniae.
2. Candelus, Georgius: De collationibus bonorum.
3. Caurenus, Terentius: De appellationibus.
4. Locamerus, Georgius David: De jurjurando liti decisorio
5. Tabor, Johann Otto: De officio judicis

1633.

1. Locamerus, Georgius David: De emptione venditione



1633

2. Locamerus, Georgius David: De pactis.
3. Locamerus, Georgius David: De prorogatione jurisdictionis

1634

1. Locamerus, Georgius David: De matris.
2. Loebbecke, Zacharius: Selectae aliquot conclusiones ex materia renunciationis
3. Meig, Johannes Ludovicus: De lege II C. de hered. petit.

1635

1. Pitschius, Casperus: De evictione feudi.
2. Locamerus, Georgius David: De contractibus immov. natis.
3. Tabor, Joh. Otto: Procardicorum sive axiomatum juris inuektorum. Disputatio I.
4. Tabor, Joh. Otto: De rerum divisione et adquisitio eorum dominio.



1636.

1. Friederici, Paulus : De creditorum concursu, qualitate et convocacione

2. Fritsch, Johannes : De precibus legatorum et fidei-commissionum.

3. Lucianus Georgius David : De acquirenda vel omittenda hereditate

4. Taber, Johannes Otto : Selectarum juris quaestionum ad faciliorem paratellorum Wesenbecii intellectum directarum disputatio II

5. Taber, Johannes Otto : Selectarum juris quaestionum ad faciliorem paratellorum Wesenbecii intellectum directarum Disputatio I.

6. Taber, Johannes Otto : Paratella ad l. Fuliam magistrat-

his

1637.

1. Biceius, Gregorius : De sacerdotum institutione



1637

2. Piccus, Gregorius: Commentationis ad locum juris  
in l. possideri 3 § ex contrario 5 ff. de acquir  
et amittend. possess. pars prior.

3. Felzer, Magnus: Commentatio ad locum . . . . l. 3 l.  
famil. erisc.

4. Hoffmann, Philippus Ludovicus: Cui feudum firmum  
vel amissum aperiatur, ostenditur.

5. Tucanus, Georgius David: De legatis et fideicom  
missis

6. Mullinger, Ernestus Fidericus: De jure proceden  
tiae, praesentiae et sessionis prerogativa

7. Rebhan, Johannes: De cumulatione petitorii et  
possessorii

8. Tuto, Johannes Vtho: Selectarum juris questionum  
ad faciliorem paratiblorum Wesembecii intellectum  
directarum disputatio VIII.



1637.

9. Taber, Johannes Otto: Testamentariorum questionum. Decisiones.

10. Taber, Johannes Otto: Selectarum juris questionum ad  
faciliorum paratitlorum Wesenbecii intellectum directarum  
disputatio IV.

11. Taber, Johannes Otto: Selectarum juris questionum  
ad faciliorum paratitlorum Wesenbecii intellectum  
directarum disputatio V.

12. Taber, Johannes Otto: Selectarum juris questionum  
ad faciliorum paratitlorum Wesenbecii intellectum direc-  
tarum disputatio VII.

13. Taber, Johannes Otto: Selectarum juris questionum  
ad faciliorum paratitlorum Wesenbecii intellectum  
directarum disputatio III.

14. Taber, Johannes Otto: Selectarum juris questionum  
ad faciliorum paratitlorum Wesenbecii intellectum  
directarum disputatio IX et h. l. l. III de postulando



15. Taber, Thomas 1760: Selectarum juris questionum  
ad faciliorem paratitlorum Wernbergii intellectum  
directarum disputatio V



1. Tab. Juris: Selectorum juris quæstionum  
ad facultatem paratellorum Wittenbergi intellectum  
disputationis III

2. Tab. Juris: Selectorum juris quæstionum  
ad facultatem paratellorum Wittenbergi intellectum  
disputationis III

3. Tab. Juris: Selectorum juris quæstionum  
ad facultatem paratellorum Wittenbergi intellectum  
disputationis III

4. Tab. Juris: Selectorum juris quæstionum  
ad facultatem paratellorum Wittenbergi intellectum  
disputationis III

5. Tab. Juris: Selectorum juris quæstionum  
ad facultatem paratellorum Wittenbergi intellectum  
disputationis III

6. Tab. Juris: Selectorum juris quæstionum  
ad facultatem paratellorum Wittenbergi intellectum  
disputationis III

7. Tab. Juris: Selectorum juris quæstionum  
ad facultatem paratellorum Wittenbergi intellectum  
disputationis III

8. Tab. Juris: Selectorum juris quæstionum  
ad facultatem paratellorum Wittenbergi intellectum  
disputationis III

9. Tab. Juris: Selectorum juris quæstionum  
ad facultatem paratellorum Wittenbergi intellectum  
disputationis III

10. Tab. Juris: Selectorum juris quæstionum  
ad facultatem paratellorum Wittenbergi intellectum  
disputationis III


270




























ILLUSTRISSIMIS ET  
CELSISSIMIS PRINCIPIBUS  
AC DOMINIS:

DN. GEORGIO  
DN. LUDOVICO  
DN. RUDOLPHO  
DN. CHRISTIANO } Fratribus Ger-  
manis.

*Ducibus Silesiae Lignicensibus, Bregen-  
sibus &c. Dominis suis clementis-  
simis.*

*Hanc, de PRINCIPLE, pub. & solen. habendam  
Disputationem, in sui, & suorum studiorum com-  
mendationem & promotionem.*

*Offert, Dicit & Consecrat*

*humilimus.*

JOANNES BAPTISTA SCHWOPIUS  
Bregensis Silesius. L.L. Stud.

A. & R.





Προόμιον.



Notiescung, ad reconditam DEI sapientiam animum paulisper defigo meum, ac ejus mirandam, caligantibus tantum intueor oculis providentiam, PRINCIPES ILLUSTR. & CELSISS.

Domini mei Clementissimi; mirari satis nequeo concinnam rerum omnium creaturarum ab initio ortam dispositionem, in qua certâ cuncta sunt mensurata mensurâ, justo constituta numero & trutinata pondere: Sapien. II. Ac ut liberius exspatiari valeam, ex omnibus unicam saltem creaturam omnium prestantissimam paulò altius contemplari libet, animal videlicet illud, divinae Majestati quàm similitimum Hominem, qui Sapiëntiæ divinæ locupletissimus; eum enim, ut Poëta canit Sulmensis

Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum:

Pronaq; cum spectent animalia coëtera terram,

Os homini sublime dedit cœlumq; tueri

Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Providentiæ verò cœlestis abundantissimus; id quod facile ex varia ejusdem conditione unicuilibet innotescere potest. Non enim equali genus humanum fortunâ constitutum voluit, verùm hunc:

Fulgente trahit constrictum gloria curru.

alter obscuro positus loco, residet. Huic concessit, ut

Superbus ambulet pecuniâ; modò:

— Mendicato pascitur ille cibo.

— — Proximos illi tandem occupavit

Pallas honores.

Alterum & sensus eum re consiliumque fugit.

A 2

Alio,





*Aliis jus dedit magnum necis atq; vita, ac donavit diadema  
fronti. Hunc parere decet jussis & servitia ferre. Verum quis  
injustè horum aliquid sancitum statuatur? Nam:*

— — Cuncta hæc superum demissa suprema  
Mente fluunt.

*Aut quis invidia Deum arguat? Valeat illud Beati Ambrosii  
l. 8. de vocat. gent. ubi investigari non potest quare ita judi-  
cet, scire sufficit, quis judicet. Nihil enim rerum nostrarum  
apud humanam rationem expers est rationis, tamen si nobis vi-  
deatur. Fatendum sanè in totius humani generis redundasse  
emolumentum, si primores nostri Parentes divino obedientes fu-  
issent mādato, forsitan omnes nunc aequali viveremus sorte; nec  
tām multis fascinati essemus præceptis, si uni non reluctati fuif-  
sent: quin perpetua donati libertati, Domini totius universi e-  
vasissemus. Nunc verò posteaquam propria nos malitia in tot  
tantq; calamitatum præcipitavimus genera, meritò in divina  
divini Patris acquiescamus voluntate, qui ab ejus defleximus  
Pietate; ac immensam suam intueamur misericordiam, severam  
dum meriti fuimus pœnam. Etenim nunquam paternum à no-  
bis declinavit animum; sed Clementem etiam in media ira de-  
fixum in nos habuit oculum, nostramq; quadamtenus refrena-  
vit licentiam. Vah! quousq; impietate: & perversitate jamdu-  
dum prolapsi essemus? quandoquidem vix unquam perversa  
diaboli fraude & dolo fascinata voluntas, divina cogitare per-  
mitteret. Quapropter ut ipsa est Sapiencia; ita & sapienter u-  
niversa, quanquam non absq; mysterio ordinavit; verum ita,  
ut liquidò unicuiq; constaret, nobisq; testatum faceret, anxie il-  
lum nostra inhiare saluti, adeoq; avere nolentes volentes velu-  
ti nos ad aeterna rursus trahere gaudia; dum scripto suam nobis  
tradidit voluntatem, ne cuiquam posthac unquam prætensionis  
causa manere queat. Nec hoc tantum satis esse duxit, quin in-  
super*



Super eâ quoq; cum humano genere viâ progredi ipsi collibuit, ut, qui populum de voluntate sua admoneant, passim suos constitueret Vasallos & virtutum Coryphaeos, in quibus insignem summam suam Majestatis speciem repraesentare voluit; ad protegendos bonos, & poena afficiendos impios, atq; ita totum humanum genus stygia abyssu addictum, aeternâ aeterni ignis viragine eripi & purissimo caelestium animarum cœtui associari voluit.

Cum igitur justissimo DEO, cui nihil unquam injustum placet, ejusmodi variabili statuum humanorum cōditione, Mortales rotare, eoq; modo eorum promoveri salutem visum fuerit; meritò quilibet occultam miretur justitiam, & gratias manifesta agat misericordiae. Imprimis verò hic, qui in summo summae potestatis fastigio locatur, nunquam se ingratitude nota infuscatum patiatur; aet acceptum divina referat bonitati & clementiae, quod ex uno eodemq; nobiscum pulvere productus, honestiore adornatus sit larvâ: Nazianz. ORAT. 19. Nemo deniq; tantâ se oblinitum concedat socordiâ, ut virtutis cum pigeat exercere studium, dum se à caelesti virtute factum recordatur. Equidem ad virtutem amplectendam unumquemq; honestatis ratio vocat; at imprimis ea se imbuere debent, qui ad regiam e-  
vecti sunt dignitatem. Cæteris enim mortalibus in eo stant consilia, quid sibi conducere putent; Principum verò diversa sors est, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda, ut præclare Tiberius apud Tacit. 4. Annal. Virtutis itaq; adminiculo, nomen suum imprimis immortalitati commendabit, cum secundum Poëtam:

— — — Vivat post funera Virtus.

Idcirco hac fretus aurâ, tutus navigio, & absq; omnis jactura periculo navem in portum salvam transferre nitor. Nam in Monarchiam, quæ inter reliquias Reipub. formas, perfectissima simplicissimaq; haberi solet, pedem figere animus prurit, in eaq; Prin-



cipis sive Monarcha personam paululū intueri libet, secundum  
quadam eius adjuncta ex triplici virtute deducta, qua & Re-  
gem & hominem pariter eum admonere debent. At licet mate-  
ria hac tanti sit ponderis, ut mihi meoq; ingenio ardua difficilli-  
maq; videri possit: attamen tentamina hac mea, à Celsitudin.  
Vestris, nunquam improbatum iri confido; siquidem nullam ex  
his eruditionis laudē mihi redundare cupio; modo ab illis studio-  
rum meorum utilitatem promoveri persensero. Accipite itaq;  
Celsissimi Principes, Domini mei Clementissimi, has nullo  
festivitatē lepore conspersas, rudi autem stilo continuatas theses:  
quas simul ac ad vestram vestrae Clementiae aram depositas vi-  
deritis, illis ne vestrum placendi studium denegetis, subnixè ro-  
go: vix enim aberit, si Clementiae vestrae lumine irradiata fue-  
rint, quin radios coruscōs latius sint emissura atq; sparsura suos.

## T H E S E S.

### I.

**U**T autem ritē meum persequar propositum, illud à Principis de-  
finitione exordior, illumq; dico, Personam publicam, cui sum-  
ma in imperio, divinitus est in subditos communicata potestas; ut  
videlicet iis sua relinquens bona propria, secundum DEI, naturæ,  
suasque ex justo & æquo conditas leges imperet atque eos gubernet.  
Arnise. l. 1. pol. c. 9. p. 159.

### II.

Cum autem sola virtus Principis boni ideam spondere possit,  
si videlicet illā ipse præditus fuerit, aliosque ad perfectam duxerit;  
ut præclare Kekerm. l. 1. polit. c. 32. ideoque secundum nostrum in-  
stitutum, illam quoque triplicem facimus: atque dispescimus in  
Theologicam, Ethicam, Politicam.

### III.

Theologicam quod spectat, Pietas hæc est, quam in frontispi-  
cio



cio & primo tractationis limine ponimus. Nam fundamentum si neglexerit, qui ædificium exstruere satagit, pessimè aget, facileque exstructa corruent; pari ratione & neglecto virtutum fundamento, pietate nimirum (quæ humanæ felicitatis fundamentum, ac cui præmia quæ solo, quæ polo parata) cætera acta factaque mortalium cuncta felici destituuntur successu. Hac itaque ante omnia Principem exornatum esse oportet, si boni viri gaudere titulo, seque terrestris felicitatis atque beatitudinis cœlestis participem reddere voluerit: quippè ac in eò summam suam collocabit operam, ut ad DEI gloriam universa quæ fiunt referantur, DEO prævio suscipiantur, DEO prosperante progrediantur, sub ope tandem DEI quoque fini-antur. Nam nulla ibi profectò erit felicitas, ubi vera non est Pietas. August. *l. 4. de civit. Dei c. 3.* Ita enim persuasum mihi habeo, etiamsi omnes alias Princeps sibi annitatur comparare virtutes, ac in huius unicæ languescat studio, cæteras pro vitiis omnes habendas esse: quin hac unicâ deficiente, reliquarum perfectionem vix unquam illum consequi posse statuo; omnis namque nostra perfectio à divina petenda est iustitia: ingensque virtutis in nobis defectus, perfectionis divinæ exuperantiâ supplendus. Guævar. *Horolog princip. lib. 1. cap. 18.*

#### IV.

Hanc verò suam pietatem tum erga DEUM, tum erga ejus cultum demonstrabit.

#### V.

Respectu DEI suam declarabit pietatē, Primò, piè & justè vivendo: Etenim quotidie animo secum perpendet, se, secundum Platonem, humanum quempiam DEUM, adeò ut nullius subijci teneatur imperio, præter solius DEI, cui Subjectum quicquid hic orbis habet. Similiter quoque erit sollicitus, ne labe aliqua tantæ aspergatur Majestati, quæ illam obscuret atque scædet, etiam ubi maxima sese ei ad peccandum incitamenta offerunt, siquidem casta & ab omni vitiorum spurcitie maximè libera esse vult vicina syderibus Majestas: quod si autem humano labefactari debeat vitio, nunquam non justo quoque homo ab ipsa afficietur supplicio.

Deinde



V I.

Deinde, se suaque cuncta divinæ protectioni submittendo, cogitans, facile se, divinitus sibi concredita bona amittere posse, nisi quoque ab eo, à quo ei affluxissent, conserventur. Magnum sustines onus capite, regium insigne, inquit Cobaris ad Bessum apud Curt. l. 7. Magnum imò gravissimum pondus, multis expositum periculis insidiisq; propter quod neque à tergo neque lateribus tutus, semper in metu aut periculo agitatus, Salust. ad Cæs. Ideoq; semel sceptro amisso, hunc, qui in regimine positus, non ut clientem ad eum fortè fugientem, ab eoq; per vim ereptorum restitutionem petentem verùm altiorem, Deum nimirum, adire, ab ipsoque precibus, amissa efflagitare oportebit. Quidni igitur favorem & amorem DEI debito omni tempore sibi conciliet? quia in adversitate non facile inveniuntur præsidia, quæ in pace non sunt quæsitæ. Prosper. sent. 92.

V I I.

Tertiò, bono subditis exemplo præeundo: Etenim ut Regentium vitiis tota infici solet civitas; sic quoque eadem commendatur continentiam Cic. de ll. ad Principis itaque exemplum & suos quoque mores component subditi, si videlicet pius, DEIque amans fuerit; hi pariter pii DEORUMque metuentes erunt; quia multitudo fermè semper regenti similis esse solet. Liv. l. 5.

V I I I.

Tandem commissorum magnitudinem perpendendo. Nam cui plus commissum est, ille plus utique debet, inquit Amb. sup. Psal. 118. at quem latet, non unius alteriusvè personæ privatæ, sed totius Reipub. salutem divinitus Principis impositam esse cervicibus; atq; exinde sui quoque regiminis rationem non cum mortali, sed immortalis DEO, cui unicè nostræ innotescunt cogitationes eum conferre tandem oportere: ea propter felicitatis & majestatis suæ Autoris omnibus horis meminerit, talemque se in omni suorum officiorum genere præstabit, ne lætissimam tandem in terribili extremi iudicii die Christi vocem effugiat; verùm de se potius pronunciare gestiat: Euge serve bone, in parvo te fidelem præstitisti, plura tibi committam. Matth. 25. vers. 12.

Deni-



IX. Denique DEO constanter in omni fortuna adhærendo. Quippe haud fallitur is, qui spem fixam certamque in divinum collocat præsidium; quandoquidem humana sit vana fiducia *psalm. 116.* DEI verò firma in cunctis fortunæ flatibus assistentia. Ideò vix tutum censeo Principi, humanis se nimis credere viribus; omnis namq; felicitas ac bona cuncta ab alio nunquam ei affulgere solent, quàm ab ipso præpotente DEO. Quod si verò divinæ universa, seque totum committat providentiæ, humanas nunquam extimescet insidias: at DEUM qui deserit, omnium se desertissimum statuat; quia humanæ facile ab homine infirmari valent insidiæ, cœlitus verò allata, neque portæ inferorum superare possunt. Nam secundum Poëtam, *lib. 5. Tristit.*

*Plus valet humanis viribus ira DEI.*

X.

Circa divinum cultum Principis quoque coruscare debet pietas, cum in omni Repub. *πρῶτον ἢ περὶ θεῶν ἐπιμέλεια*, prima sit cura rerum divinarum *Aristot. 7. Polit. c. 8.* atque religione sola universa hominum constet societas; ab hac subditorum in Principem fides, erga magistratus obedientia, charitas in singulos, justitia in omnes pendeat. *D. Besold. diss. 1. de Educat. c. 7. p. 33.* Quippe quod nec ullus unquam DEI extitit cultus, optimæ qui politiæ melius convenit; insuper & nihil quod animos subditorum & cunctis qui imperitant conscientias magis devinciat, obedientesque reddat, quod etiam eosdem in pace & quiete sine rebellionem commodius & facilius conservet, quàm religio, maximè Christiana.

XI.

Duplex itaque in religionis negotio Principis sese exhibet officium; Primò ut veràm, veritati atque sacris congruentem litteris foveat. Deinde illam ab omni hæresium fece illibatam conservet atque contra hostium vim defendat. Insuper tamen sedulò caveat, ne se ab erroneis erroneorum spirituum flatibus, instar volubilium foliorum circummagi patiatur. Nam minoris est excessus (sunt verba Gregorii) veritatem non agnoscere, quàm in ea agnita non manere: imò quo ad fieri potest, nec talibus se ullo tempore irretire cogita-

B

tioni-



tionibus, quibus undis infernalibus non modo inundari, sed facile immergi possit.

XII.

Quanto honore & dignitate apud Ethnicos olim Dei cultores & religiosi in primis Principes fuerint, haud difficile est monstratu ex relictis veterum scriptorum monumentis. Tarquinius Priscus Quintus Romanorum Rex propè immortalitate donatus fuit, propter singularem DEORUM venerationem, ut fatetur *Liv. l. i.* Nam ad rerum gubernacula ubi admissus fuit, contentus his non solum quæ condita invenerat templis; verùm insuper in Capitolii area, famosissimum illud Jovis templum exstruxit, cujus tanta fuit dignitas, ut, sicuti Jovem maximum omnium Romanorum DEUM staturerent; ita templum quoque hoc omnium templorum primarium judicarent. Athenienses insuper & ipsi magno religionem habuerunt in pretio; Legibus namque constitutum fuit, illos qui verbum tantum præter leges locuturi essent de Diis receptas, sine ulla venia esse puniendos *Joseph. l. 2.* Patet itaque, ut si, Ethnicorum licet obscurati tenebris, circa falsorum numinum cultum fervidi & diligentes fuerint. Cur non multò magis nostri in primis Magnates horum alacritate accensi, in veræ religionis propagandæ studio gliscere potius quàm fatiscere debeat?

XIII.

Valeant oggannientes nobis, Magistratui in causa religionis non esse commissum judicium; Nam etli corporalis gladius, quem Magistratus gestat, pietatem in animis non efficiat: tamen disciplina requirit, ut eo ipso externas coërceat contumelias, quibus religio conspurcari, ipsum autem DEI verbum prophanari possit; id quod sacra ad oculum veluti scriptura nobis demonstrat. Nabuchodonosor & Darius Medus publicârunt edicta, quibus blasphemari DEUM Israeliticum interdicebant, Præterea si totum hoc negotium ad veritatis libram revocemus, comperiemus omnem Rempub. ex triplici statu esse compositam, Politico, Ecclesiastico, & Oeconomico; ubique autem piâ ipsius DEI sanctione duos præpositos fuisse fratres in veteri fœdere, Moysen nimirum & Aaronem, quorum alter gladium, alter verbum tenuit: illam quidem gladio armavit DEUS ad veram tuendam doctrinam & ejus coërcendos adversarios; hunc,



hunc, quæ ad verum Dei cultum pertineant, ex sacris jussit haurire fontibus. Interim circumspectè Magistratum politicum agere volumus, atque eum monemus, ne in messem alienam falcem immitat, & metas transfiliat; verùm Deo quæ Dei sunt solvat, Cæsaris verò Cæsari reddat.

#### XIV.

Ut autem vera in Repub. vigeat religio atque pietas, maxime requiruntur scholæ & Academiae tanquam Musarum sacrarum domicilia & habitacula, in quibus animi Adolescentum nondum consilio & ratione firmati, omni liberalium artium genere imbuuntur, veraque in religione confirmantur. Etenim sunt Scholæ, Ecclesiæ & Reipub. armamentaria, ex quibus omnis generis arma depromuntur, tum ad sincerum Dei cultum propagandum; tum ad Reipub. salutem & incolumitatem cōservandam & defendendam. *Alth. pol. c. 28. n. 33.* sunt bonorum & piorum civium officinæ & artium seminaria, imò secundum Quintilianum, omnis felicitatis causa & fons, quæ totam solent ditare regionem, non secus atque auriferæ vel argenti fodina. Nam hæc solæ nobis viros prudentes & sapientes spondere solent; Ex his tum regentes, tum obsequentes, utilia hauriunt & fugiendorum & faciendorum præcepta; in his quoque salutaria imperantibus suggerentes consilia educantur.

#### XV.

Quapropter si beatam Princeps Reipub. formam introducere satagit, nunquam à scholarum fundatione ipsi est abstinendum; verùm sacrarum Musarum ædium, consilio & auxilio promovenda exstructio. Nam nullas sanctius utiliusvè collocabit opes, quàm quas in scholarum tum fundandarum, tum cōservandarum usum contulerit. Enimverò salutem subditorum sibi unicè propositam novit: quo autem medio melius hunc suam exsequi finem potest, nisi scholarum constitutione? quibus corporis pariter ac animæ subditorum salutem promovebit; fundatas verò viris sapientia, doctrina & virtute præstantissimis circumseptas, circumseptas stipendiis & aliis necessariis sumptibus muniat, munitas in vigore & flore conservet, pro earumq; cura dies noctesq; excubet, atque tandem animum, veluti ex horto lepidissimo, decerptis doctrinarum floribus relaxet, eorumque mellifluo odore & sapore demolliat.



XVI.

At ut nihil doctrinarum studio præstantius pretiosiusque; ita docto atque in litterarum officina polito Principe nihil in orbe excellentius, nihil optabilius. Sub huius enim regimine artes liberales honore nutriuntur, floret Respub.; subditi vigent: vice versa ubi litterarum ignarus sceptrum tenet, non raro virtus exulat, honor Musarum latitat, Respub. laborat, & haud scio, quid iste curet (ut Manutij verbis utar) negligit animum quò nihil præstantius esse potest, seipsum ignorat, quo nihil turpius; corpori servit, quod illi commune cum bestiis. Nescio verò quid sperandum ab eo qui salutifero litterarum flumine se ingurgitavit. Nam doctrina, vel meliores reddit homines, vel deteriores, pro cuiusque natura & inclinatione: sed tamen verisimilius censeo, aliquem eam meliorem fieri. Etenim quò quisque magis, quid se deceat intelligit, eò vehementius ipsum neglecti pudet officij, ac etiam si omninò à maleficio sibi non temperet, tamen ne planè modum excedat, cavet.

XVII.

Plurimum semper valuisse litteras, litterarumque amantes, non apud plebejos tantum, sed in magnorum quoque virorum aulis, factis nos veterum Regum Principumve edocent exempla. Dionysius Syracusanus, aliàs sævitæ natus, disciplinam Aristippi magnoperè delectatus fuit. Alexander Magnus (referente Curtio) meritò etiam à benigno erga eruditos commendatur affectu: Aristotelem enim summo est prosequutus amore, eumque magnis affecit muneribus. Idem & Anaxarchum Philosophum magna habuit observantia, imò sese alterum optavit Diogenem, si non esset Alexander. Et quid longius in peregrinorum exemplorum inductione immoror? Cum tuum, SERENISSIME PRINCEPS JOHAN-CHRISTIANE, Domine Clementissime, mihi sufficere possit exemplum: Sollicitus hætenus fuisti in Scholarum fundatione, id quod, tot exstructa Apollini, unicuique exhibent ædificia; verum ita, ut in antea fundatis, prius saluberrimo doctrinarum artiumque liquore eruditionis sitim laxare volueris; Quin ac toto adhuc incumbis animo, ut non tam unicuique litterarum amans videri, quam inveniri valeas. Tuos certe maximè hac in parte paterna movet alacritas: siquidem Tuæ Celsitudinis vestigiis insistentes, Nominis Paterni gloriam nominum suorum claritate non obscurare, sed ab obscuracionis nube

vin-



vindicare, omnibus nituntur viribus. Quantum virorum doctorum polleat apud te autoritas, in propatulo est; Quantis impensis, operam suam scholis navantibus alas, foveas & promoveas, non ii tantum attestari valent, ad quos ingens Nominis Tui fama pervenit; quàm & ii, qui benigno hoc Tuæ Clementiæ affectu irradiati fuere. Et me Christe ita mecum statuo, unicum illud adhuc esse fulcrum, (divino tamen salvo auxilio) quo illustre illud Breganæum, quin tota nostra Brega inclinata recumbat, etiam in media vicinarum urbium ruina, angore & plangore. Urge, urge itaque, Perinclytum Silesiæ Decus, hoc tuum propositum, Deo gratum, Ecclesiæ commodum. erige, fove & protege literarum domicilia, quæ in adulta juventus, moribus honestis educari, informari tandem & beari valeat. Scholæ etenim à Repub. nullo modo abesse possunt, illis namque si spoliati essemus, nihil rerum olim gestarum scire, nihil illis significare possimus, qui futuri post nos: siquidem literarum usu memoriæ fulcitur æternitas. Macrobi. l. 2.

#### XVIII.

Hucusque Theologicam Principis perlustravimus virtutem; Ethica nunc ejus evolventa venit, quæ Justitia. Meminit Lactantius l. 5. c. 5. Poëtarum de justitia figmento, quo illam statuerant, vitiis hominum offensam mortales linquere sedes, cœlestiaque petere loca; existimantes, hanc immortalem quandam esse Deam, gaudere imprimis hominum probitate, succensere verò eorundem pravitate; quod etiam Juvenalis respexit saty. 6. hunc in modum canens.

Paulatim deinde ad superos Astræa recessit.

Hac comite atque duce pariter fugere sorores.

Ethnica autem licet hæc sint & fabulosa, ipsissima tamen his obscurata latet veritas, ut omnibus ferè solet poëtarum figmentis. Nam quâ in urbe, quave in regione, quâ in aula, parvus imò minimus tantum justitiæ locus conceditur, ibi magna grassantur flagitia, nec vitiorum sectatores debitâ afficiuntur pœna: at ubi delinquentium connivetur vitiis, certum est indicium justitiæ exulantis, & inde *πανωλεθρίας* præsentissimæ.

#### XIX.

Hujus itaque necessitatem in benè constituta Repub. indicat. Macrobius, inquiens, sine illa neque gentem ullam, neque exiguum

B 3

homi-



hominum cœtum, imò ne domum quidem parvam constare posse. at quis ignorat ab illa ipsa, in omne hominum genus leges & jura promanasse? illam benefactis honores & præmia polliceri, malefactis verò ignominiam & supplicia minitari? hanc bonorum excitare studia, malorum verò improba coërcere facta. Sanè dubitò hac sublata, an hominum inter se societas, ipsaque rerum universitas stare & tueri se punctum temporis possit. Hinc Plato *l. 4. de Repl.* magnam & ingens illam dicit esse donum, quod homines à Diis accepissent; qui cum adeò fragiles sint imbecillesque, justitia gubernarentur eamque administrarent. Augustinus ejus quoque indicat præstantiam *l. 4. de Civ. Dei*, quærens, Regna quid aliud sunt remota justitia, nisi magna latrocinia? Quippe ipsa testatur experientia, nullam unquam fuisse vel futuram esse regionem tam barbaram feramque, cujus Respub. justitiæ, tanquam fundamento non innixa fuerit: ac, me Christe, qui potest fieri absque justitia multitudinem vivere posse, cum absque ea ne persona quidem unica regi valeat.

XX.

Ast licet virtus hæc singulos stringat homines; attamen in Principis persona, tanquam, in Loco eminenti posita maximè eminet atque effulget, eumque præ cœteris adornat: Etenim ut recordatur, se divinæ Majestatis vices in terreno hoc sustinere regno, imò eum humanum quendam esse constitutum DEUM: ita virtute se quoque imbui meminerit, quam non patrimonii instar hæreditarii à majoribus sibi traditam, sed à DEO, fidei suæ scit commissam eamque exercere, qua DEUS præcipuè humanum genus regit atque gubernat. Justitiam autem illam esse nemo negatum ibit, quam subditi timere, Princeps verò secundum æquitatem omnibus administrare debet. Hac olim Reges ad imperium erecti fuere, ut de Dejoce notat Herodotus *l. 1.* illum, propter singularem justitiæ existimationem, primum Medi creatum regem: Quapropter non tam cōvenit quàm expedit Reipub. si maturè Princeps justitiæ adsuescat, diligenter prospiciendo, ne subditi injuria laborent: certo enim statuunt secum, omnem injuriam, quam perferre coguntur subditi, totam in eum redundare: neque sat esse illam officialium atque præfectorum curæ committere; quin & ipsi gnæviter inspiciendum ac invigilandum, ut officio perfungantur.

Hanc



## XXI.

Hanc igitur virtutem vulgariter dispescimus in Universalem & Particularem. Illam quod concernit, Principem de legum subjectione & exsequio admonet, suggerens ei, dignissimam esse majestatis regnantis vocem, Legibus se alligatum profiteri. Sanè nescio quorsum ablegandi, suadentes imperantibus, licere iis, quicquid lubeat, nec unquam eorum majestatem legibus illaqueari debere; cū ipsorū tamē referat, utrū bonos aut malos habuerint subditos; hos intra justitiæ terminos cohibebit, utiles & bonas leges iis sanciendo, sancitarum rigorem exequendo; illos facilè suo exemplo sub modestiæ cancellis retinebit. Exemplo Lycurgi, qui non tam inventionem earum, quàm exemplo clarior fuit, nec quicquam à quoquam exegit, cuius in seipso documenta non eluxerunt: de quo Justin. l. 3. Quapropter cum Arnise. l. 1. polit. c. 11. dicimus, nihil magis decorum aut regale esse, quàm legum jure solutum, sponte tamen legibus se subicere. Eleganter etiam Plutarchus in Epistola quadam ad Trajanum scribit: Occupatum te Princeps dicis in novis condendis legibus, at ego te occupari malle, ut servares & servari curares leges antiquas.

## XXII.

Cū verò ad Principis legum ferendarum munus devolvimur, ad duo imprimis animum illum adicere cupimus. Primò & ante omnia, ut in ipsarum legum fundatione circumspectè & prudenter agat; quod efficiet, cū majorum seu suorum Antecessorum leges sibi propositas habuerit, hac tamen ratione, ut pia & justa suadentes, confirmet; in Reipub. perniciem cedentes abroget; rigorem severiorem quàm æqua suadet benignitas, præferentes corrigat; imperfectione laborantes suppleat & augeat: quo in negotio satis sua eminebit prudentia, quin & effulgebit, cum has omnes à seipso conditas ad Reipub. conservationem & subditorum salutem direxerit. Bonum itaque hac in parte imitabitur Architectum, qui ædes firmis fundamentis & muris munit atque confirmat. Pariter & hic legibus ceu muris & fundamentis rempub. fulciat, quibus boni diutissimè vigeant; mali verò coërceantur, ne irruant, atq; exstructa devastent. Hunc enim finem omnes in universum leges spectare debent, ut videlicet earum metu humana coërceatur audacia, rutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis reformidato, suppli-

cio



cio, refrēnetur audacia & nocendi facultas: ut eleganter Isidor. l. 2.  
*Etymologiarum.*

XXIII.

Deinde latorum exsequutionem quoque, in consilium adhibita non modo ratione, sed & conscientia, fideliter peragat, quò beneficio justitiæ distributiæ illum deducemus; quæ tanti æstimanda, ut si in repub. vigeat, ejus tranquillitas atque pacatus, quin & diuturnus sperandus status. Nam vix absque gravi Reipub. jactura fieri posse autumo, ut boni & benè de Repub. meriti præmiis careant: Mali verò debito pœnarum supplicio à vitiis non deterreantur; siquidem hoc ipsum à benigna rerum cunctarum matre natura omnibus implantatum experimur, quemlibet muneribus citius ad laudis gloriam invitari; suppliciiis verò plerunque à vitiorum actionibus avocari. Quapropter sapiens, sapientissimi Solonis effatum Principi commendamus, in duobus existimantis Reipub. positum fundamentum, Præmiis & pœnis: eique suademus, ut secundum utraque suos rectè cognoscat subditos: magno enim dedecori est, neque cognosci malos, neque honorari bonos: Guevar. *Horolog. princip. l. 1. c. 37.* & nec domus ulla nec Respub. stare potest, si in eâ nec rectè factis præmia extent, nec supplicia peccatis *Cic. 3. de nat. Deor.*

XXIV.

Præmia itaque à Repub. gubernatore nunquam negligi debent, cum secundum Poetam.

— egregios invitant præmia mores.

Ac licet etiam præmiorum gratiâ quis Reipub. operam suam navasse non videatur, ipsa tamen sibi vendicant gratitudo, præmia benefactis rependere; imprimis verò æquitatis ratio jubet, etiam non poscenti deferre præmia. Illa namque benè meritis grata acceptaque cadunt, dum intelligunt, nunquam suam reipub. displicuisse operam. Hæc profectò si è repub. abesse debeant, quis tunc existat, qui præmio quid dignum præstet? siquidem (ut de suo mihi largiatur Romanæ eloquentiæ Parens Cicero) pauci post genus hominum natum reperti sunt, pro sua patria qui nullis propositis præmiis, vitam suam hostium objicerent telis. Contra verò apud quos præclara virtuti proponuntur præmia, ibi præstantissimi quoque omnitem-



tempore extitère viri; Nam nihil non aggressuri sunt homines, & magna conatis proponantur præmia.

### XXV.

Certa tamen præmiorum ratio Principi adhibenda erit, adeò ut nec ab excessu in defectum inclinet, nec defectus in excessum abeat. Veruntamen velocior ad distribuenda existat præmia, quàm ad irrogandas pœnas. Unico enim hoc probè observato, & subditos ad ejus celebrandas & amplificandas laudes instigabit, sibi verò favorem & honorem eorum uberiores conciliabit, atque ad præclarum virtutis impetum magis magisque compellet, tum & ad luculentiora, pace belloque, virtutis edenda testimonia provocabit. Suspensum autem animum hîc intendat, ne erogandis præmiis respub. exhauriatur; neve aquam in mare transportet; ac iis, qui rerum omnium affluentiam abundant, Reipub. quoque opes adjicere satagat. Verùm potius horum merita debito honorum titulo recompenset; hac tamen observata moderatione, ne honores & dignitates, nimium expendendo in contemptum trahat, neque modum excedat, & se, alios ad dignitatis gradum evehendo, è folio majestatis dejiciat; Periculosum enim est subditorum nomen supra vel juxta Principis nomen extollere. Keckerman. *l. 1. polit. c. 16. p. 778.*

### XXVI.

Ast cum in Repub. de ejusmodi etiam grege inveniantur homines, quos mala efficacius, quàm bona movere soleant: æquè in Repub. pœnæ vigeant necesse est, quibus pessimi, ne aliis vel exemplo vel facto noceant, afficiantur. Triplicia verò se hominum genera offerunt, ut annotat Besold. *diff. 2. de pœn. c. 3. p. 115.* qui castigationis scuto ab Imperante excipi debent: Unum eorum est, in quibus humana imbecillitas culpatur atque emendatur, ut is qui fortuito aliquo errore lapsus in posterum attentior atque correctior efficiatur. Alterum, cum ipsius Læsi dignitas atque autoritas animadversionem efflagitat, quo imprimis Princeps respiciat, si autoritatis suæ aciem hebescere aut vilescere depræhendat, jure itaque tum eam à contemptu liberare, honoremque suum salvum conservare studeat, imò propter delicti gravitatem in delinquentem non nihil severius agat; Nam læsa ipsius Majestate, simul tota violatur Respub. Tertium tan-

C

dem



dem illorum est, à quibus propter exemplum supplicia exiguntur, ut aliis similibus laborantes vitiis formidine pœnæ deterreantur.

### XXVII.

In his tamen omnibus, hac ratione justitiæ munus Principi obeundum est, ne clementiam negligere videatur; sed in causis levioribus lenitate progrediatur; in gravioribus severitate cum aliquo benignitatis temperamento utatur. Nam in eo nullo modo justitiæ rigor versatur, ut regentes carnificinam horrendam in subditos exerceant, illos obtruncando & sine ulla, aut absque gravi causa ad supplicium eos rapiendo: quippe maleficiis nunquam satiari perversi est ingenii; ac talis profectò Rex aut Princeps à Tyranno non multum absimilis videtur, quoniam Regi minime detestabile convenit carnificinæ mysterium Curt. l. 8. sed affectanda ei humanitatis potius laus, quàm ultionis voluptas, insuper & mores civitatis magis animadversionum corrigit parcitas; Senec. de clem. c. 22. l. 11. Attamè quorum animos in tantum malitiæ immerfos comperit, ut neque minis, neq; verberibus ad virtutis studium compelli queant, vitæq; sint desperatæ & salutis, tollat è medio debito supplicio, cum nonnonquam salutaris rigor inanem spem clementiæ vincat, sanabiles verò corrigat & ad bonam frugem reducat.

### XXVIII.

Mirum sanè in modum suam Imperantes amplificabunt auctoritatem, clementiâ legitimè adhibitâ, qua videlicet apud subditos imprimis pollere debent, cum immensa multitudo auctoritatis spiritu regatur, ut pulchrè Senec. l. 1. clem. quam, inquam, consequetur atque tuebitur nequaquam pœnarum asperitate & severitate; sed excellenti sapientia, hoc est clementia cum severitate juncta. Quapropter (cum Lypsio loquor) clementia hominis virtutum convenientissima, quia humanissima: sed nulla tamen ex omnibus magis quàm hæc Regem aut Principem decet, quia plus habet apud illos quod servet: ac majore in materia apparet, quia omnia etiam conciliat quæ sceptro digna: & si paulo attentius rem perlustremus, comperiemur ex hac jucundissimum & suavissimum omnibus Principibus nomen prodire; Clementissimi namq; appellantur, mitigando videlicet pœnas eorum, qui ad viam bonam reduci possunt; tollen-



tollendo verò è medio membra putrida, quæ sanari nequeunt, ne  
valida, imò totum corpus lethifero impietatis veneno inficiatur.

XXIX.

Hanc virtutem Princeps maxime demonstrabit 1. in pœnis  
irrogandis, quæ omnis Tyrannicæ crudelitatis eum expertem da-  
bit; Nam ut se hominem recordabitur, homines nunquam conte-  
mnet Nazian. *orat. 30.* Sic hic carne se infirma constare oblitus, im-  
misericorditer carnem alienam torquet. 2. hostem eâ prosequendo,  
quem benignitate & clementiâ vincere quam armis præstat Polyb.  
*l. 4. 3.* Clementiæ oculis aspiciendo Pupillos & viduas, Lacrymas  
eorum abstergendo, foresque suas ipsis aperiendo, id tùm propter  
suum officium; tùm propter mandatum divinum *Es. 1. v. 17.*

XXX.

Quanto in pretio Athenienses Clementiam habuerunt, facile  
est intellectu ex istis Claudiani verbis:

— — — — — *flentibus aram*

*Et proprium miseris numen statuistis Athene,*

Quin & Macrob. *l. 3. Satur.* testatur in Athenarum urbe sum-  
mo in honore templum misericordiæ habitum fuisse, ita quidem, ut  
nemini sine senatus permisso ingredi concessum fuerit, quoniam  
benignorum illuc Principum tantum statuæ positæ sunt repertæ:  
neque alius quispiam, præter misericordiæ viros, intrare illud po-  
tuit. Insuper laudandus quoque Claudius Imperator, quem cum  
tempore quodam, quædam accederet vidua, cujus genæ madentes  
lacrymis, ad ejus implorandam opem: Hic postquam eam conspexit,  
adeò misericordia motus erga illam fuit, ut Lacrymas ejus suas non  
tantum fecerit; verùm & manibus suis à facie illius absterferit. Illum  
Romanus quidam nobilis ob factum hoc vituperare conabatur, in-  
quiens: satis esse ad Principum Romanorum auctoritatem & gravita-  
tem, si justitiam petentes audiant subditos, etiamsi lacrymas à facie il-  
lorum manibus non exsiccent: Cui integerrimæ pietatis Rex re-  
spondit: Bonum Principem eò nequaquam contentum esse debere,  
si nihilo amplius, quam justitiam faciat judiciis officiū, nisi in exercenda  
justitia misericors quoque videatur; malle itaque se angoris subdi-  
torum participem, quàm ut oculos lacrymis plenos habeant auto-





rem esse. Trebell. Pollio *in vita Claud. Imp.* Quapropter seriò adhortamur Principem ad Clementiæ studium : cum nulla sit tuta potestas, quæ non munita videatur benevolentia *liv. l. 8.* & magnum est justitiæ opus, pupillos & viduas tueri atque defendere *Lact. l. 6. c. 12.*

XXXI.

Duas hæcenus pertractavimus virtutes Principe dignas: restat adhuc tertia Politica videlicet, quàm Prudentiam dicimus. Hæc cum reliquis ritè conjunctis Regentis personam mirè exornat, ejusque tanta est necessitas, ut nullam actionem sine hac feliciter perficere possit. Equidem hæc reliquas sub se virtutes non comprehendit; verùm nullatamen virtus eâ vacare potest. Enimverò Virtutes in actione potius quàm in cognitione consistunt; ad omnem verò actionem recta requiritur ratio, ut secundum eam omnis perficiatur actio. Fatetur verò Arist. *l. 6. Eth. c. 6.* Prudentiam esse rectam agibilem actionem. Quidni itaque eam sibi Princeps adjungat virtutem, in qua omnium reliquarum splendorem maximè effulgere videat, ut in omni suo regimine & sibi & Reipub. bene rectèque consulere queat?

XXXII.

Duplici autem præcipuè hoc tempore, à Regentis persona observari debet. Pacis videlicet & belli. Illo suos nitatur regere subditos consilio tum suo, quod videlicet ipse excogitavit, tum alieno, quod à viris prudentibus accepit.

XXXIII.

Illud ei unicè pollicetur præclarum literarum studium, si harum benè peritus, inque omni liberalium artium genere pro ratione modoque optimè versatus fuerit. Nam Prudentia, ex qua tanquam ex uberrima quadam aquarum scaturigine, non nisi bona redundare & salutaria promanare solent consilia, nulla in re alia magis conspicitur, quàm in bonarum vel malarum rerum notitia; quin exhibetur quoque in exemplorum veterum & recentium tum observantia, cum peritia. Utramque verò unicè ei desiderabilis literarum conditio præstabit, quæ sola naturam laudabilem eximiè reddit ornatam. Ibi namque prudens invenit, unde sapientior fiat: ibi bellator reperit, unde virtute animi roboretur; inde Princeps accipit, qua



qua ratione populum sub æquitate componere valeat. Nec aliqua in mundo esse potest fortuna, quam literarum non augeat gloriosa notitia. hoc scio, inquit Senec. *Epist. 17.* neminem bene vivere posse, sed nec tolerabiliter sine sapientiæ studio, & cum omnia habueris, tum habere quoque scientiam voles & sapientiam. Rectè Alphonsus Rex Aragonum, commemorantibus quendam ex Hispaniæ Regibus dixisse, non decere Principes viros scire litteras; exclamans eum objurgavit, hanc vocem bovis non hominis esse. Quapropter hac adornatus Princeps, non nisi bonum à bono proficisci potest consilium.

#### XXXIV.

Verùm cum Principes ejusmodi perfectos, qui cuncta suo regere valeant consilio, optare potius liceat, quàm habere: ideoque alieno quoque opus habet consilio, hoc est, quod à viris Sapientiâ, doctrinâ & virtute pollentibus promanat, quos sibi adjungat eorumque utatur conversatione. Nullum namque magis indicium bonæ mentis Princeps ostendere valet, quàm adjungendo sibi viros virtute & fama celebres; ac proinde Sapientissimus ille, cui quid opus est, ipsi veniat in mentem: proximè tamen accedit ille, qui aliorum benè inventis obtemperat. Cic. *pro Cluent.* Pecuniâ quidem maximè defenditur Respub. cum hæc nervus & sanguis alter mortalium; attamen bonis quoq; gubernatur consiliis, quæ prodeunt ex iis, qui supernaturali hoc lumine illustrati. Vives *l. 2. de anim.* Laudandus M. Aurelius Imperator, de quo Lampridius, nunquam eum manibus cibum ori aptasse, neque nocturnæ se quieti tradidisse, neque strata liquisse, nisi adfuerint viri Sapientiæ stolâ amicti. Nec responsio Theodosii Magni Imperatoris floccipendenda, qui interrogatus aliquando, quid Principi faciendum ut bonus evadat, aiebat. Principem virtute illustrem cum iter facit, comitari debent sapientes, cum illo colloquentes, cum cibum capit, mensæ adstare debent sapienter disputantes, & quicquid superfuerit temporis cum sapientibus consultando transigere debet. Minus enim temerarium esse militem sine armis præliū ingredi, quàm Principem non adhibitis in consilium sapientibus regere velle Rempub.

#### XXXV.

Herculè, si Principem à capite ad calcem usq; paulò intentius  
C 3 perlu-



perlustremus, certè nullà re alia magis beatus effici poterit, quàm virorum verè prudentum consortio & conversatione. Nam ne votis quidem quicquam concipitur, quod non expeditius sapiens sapientis præstet dictio, quàm stolidi imprudentis ratio. Quid enim tonante fortuna magis eum sublevabit, quàm prudens verè prudentis oratio? Quid blandiente eum recreabit, quàm sapientis monitum, ne fortuna favente caveat tolli; favente caveat mergi? Et secundum Senecam *Epist. 85*, Nulla res sapientis excludit actus. Alexandrum Magnum nihil unquam magis delectavit, quàm sapientum virorum conversatio: *Laërt. l. 9.* adeò ut verè dixerit: Principes dum servi sunt sapientum, domini universi evadunt.

### XXXVI.

Quid, quòd Prudentes viros in consilium esse adhibendos, ipsa ante omnia sacra nobis monstret scriptura. Moyses salutari Jethronis consilio & suasu, viros sibi ad sociavit fideles, in quorum sinus peniciores suas effudit curas, ne videlicet, unius populi cura in eum solum coalescat. Davidem quoque sapientum virorum comitatu stipatum fuisse itidem divina refert pagina. Quin & Sapientum Sapientissimus Salomon *Proverb. 11.* inquit, Salus est in amplitudine consilii, & ubi prudentia non sunt consilia, corrui populus. Principem igitur, dum multos regere satagit, multorum convenit audire consilia, cum magna negotia, magnis egeant adjutoribus. Neque enim unquam tantam Principis statuo prudentiam, quanta quanta etiam illa in ipso eluceat, ut errori natus non videatur, cum constet; nullum esse Principem, qui non aliquando labatur & erret: ea propter tutius non modo quin & utilius Princeps progreditur, præsertim ubi anceps rerum emergit ala, si suis non hæreat consiliis, sed aliorum quoque; auscultet sententiis, quas, dum firmas & certas invenerit, audiat, iisque ad stipuletur; sin secus, rejiciat & meliora proferat.

### XXXVII.

Certum verò Consiliariorum numerum Principi adscribere non laboramus: sed cum Leone Imperat. *in lib. de bell.* apparatu dicimus, in rebus occultis & abditis viros fideles & temperantes atque taciturnos ei in consilium esse adhibendos, cum secretæ res, ut secretiores fiant non indigeant multitudine. Hinc apud Persas nemo consiliorum Regis particeps fuit, præter optimates, & eos qui silentii numen



numen coluere. Attamen hæc dum dicimus, minimè consilia multorum mentibus agitata rejicimus, sed ea tùm potius probamus, cum ita cruda existunt negotia, ut unius atque alterius prudentiâ concoqui nequeant; quia multæ manus plus efficiunt quàm una, & oculi plus vident quàm oculus.

### XXXVIII.

Universa tamen consilia ad bonum publicum imprimis referre convenit: quod ut Princeps unicè sibi propositum habet; pariter & hi, qui ab ejus sunt consiliis spectare illud debent: siquidem res privatæ semper officere officientq; publicis consiliis Liv. l. 22. Nunquam itaq; illi ad consultationis munus vocandi sunt, qui ad curiam tanquam ad certamen adulationum veniunt; aut qui ex odio judicare assueverunt. Nam malè cuncta ministrat impetus, & stimulare non rarò privati odii pertinacia in publicum solet exitium, inquit. Tacit. 1. Hist. verùm ejusmodi cane angueq; pejus fugiendi, ac à Reipub. arcendi, qui Principum solùm lambere aures didicere, & ut in proverbio dicitur, crysallum Adamantem vocare non erubescunt, ac adhibendi candidi & sinceri à quibus omne crimen resilit; nec alienis inserviunt auribus, sed quorum ingens ingenii candor eminet.

### XXXIX.

Aureum hucusque fuit, ferreum nunc sequitur seculum, quo

— — Mars omnia complet.

Hoc sanè in argenteum vix deducetur, nisi adsit qui ex Promethei auro conflatus, & cui nulla res tanta sit tamq; difficilis, quam non consilio regere, integritate tueri & virtute conficere valeat. Enimverò bellum inferre parvi forsitan momenti res erit; at idem justa de causa inferre, illatum sapienti consilio aut declinare aut continuare, hic labor, hoc opus. Nam quamvis plurimum in bello possit fortuna; attamen virtus & scientia rei militaris multum quoq; adjuvant. Hoc autem bono reipub. Moderatori præstat in turbulentissimo rerum statu Prudentia, & imprimis gliscente Martis ferro, ut tranquillam potius nitatur servare Reipub. quàm armis hostem provocare: quippe cogitabit non parùm Reipub. incommoditatem promoveri, crebris & assiduis bellorum tempestatibus ac procellis eam vexare; quin nec salva, Bellona furente, bona tam publica quàm privata manere demonstrat.

Bellum



X L.

Bellum autem omne in offensivum & defensivum dispescimus, hocq; illi multis, ut dicitur, parasangis præferimus; quia primò adversus inferentem damnum justa nonnunquam est ultio, ac ipsa rerum cunctarum provida mater natura vim vi pellere atq; violentiæ resistere quemlibet jubet. deinde nunquam non justa de causa suscipiatur; cum illud injustam scèpissimè prætendat.

X L I.

In utroq; horum Principis locum habebit prudentia, verùm ita, ut plus in consiliis, quàm viribus præsidii statuatur. Consilium autem ante omnia summi DEI adeat, qui solus bellorum exordiis, progressibus, finibusq; moderatur August. l. 7. de civ. Dei. quia ejus ubi non petierit consilium, nec auxilium ab ipso expectare unquam poterit Liv. l. 5. atq; universa benè geruntur, si rei principium fiat decens & amabile DEO. Imò, ubi divina providentia consiliis actionibusq; hominum non commilitat, malus iis exitus obvenit & cogitationibus valde adversus. Idcirco in pia pii Davidis insistat vestigia, de quo sacra refert pagina, illum nunquam belli fecisse initia, nisi Diis ritè in consilium convocatis. ob eandem quoq; pietatem commendatur Judas Machabæus, qui aciem nunquam ingredi solitus fuit, nisi sacris debitâ devotione peractis. Cujus rei Romani quoq; observantissimi fuerunt, qui piaculū duxere prælio vacare, nisi victimis prius immolatis, aut oraculis legitimè in consilium adhibitis. Ideoq; certò secum statuatur Princeps, plenam nunquam se de hoste reportaturum victoriam, nisi suam prius in manus DEI deposuerit querimoniam.

X L II.

Humana tandem divinis conjungere ei conceditur. Nam quemadmodum is, qui per regiones longinquas & montosas iter expedire animum induxit, prius id agit, ut vias omnes maximè sibi exploratas habeat, ne postea suscepta itineris molestiâ, impediatur. Sic sapientem quoque omnes decet expendere casus, præsertim afflictam dum perspicit Rempub. Martisque in ea grassari horrentia tela, ut providè & cautè cuncta ingrediatur & finiat, ne in medio succumbat. Res enim bellicæ, summa cum prudentia sunt perpendendæ & accuratâ cum deliberatione tractandæ, eligat sibi itaq; Princeps spectatæ



Etata virtutis viros, ad quos totum belli deferat negotium, simul ac cum his quid detrimenti, quid emolumentum sperandum pertractet. Veruntamen utendo linteolo potius ad detergendum vultus sudorem, quam eundem scindendo ad exsiccandum capitis sanguinem.

#### XLIII.

Tandem ubi spes salutis non nisi in armis relinquitur, cogitandum est de bello, non quidem inferendo, verum dextrè perficiendo: eum secundum Ciceronem, bellum omne ita suscipiendum, ut nihil aliud, quam pax quæ sita videatur. In primis verò probè ejus ponderanda causa, quæ nunquam injusta esse debet, ad eò ut sub calliditatis signo bella suscepta videantur. Non enim ad propagandos imperii fines arma sunt capessenda, quia pacis artes securius ad animi tranquillitatem ducunt; neq; regnandi cupiditate hostis provocandus; his enim, quibus pessima & immodica placet regnandi cupiditas, pax raro placere potest. Et quid, quæso, regnandi ardore flagrantibus aliud tandem consequuntur, quam ut fateantur cum Julio Cæsare se nihil amplius assecutos fuisse propter cæsaris dignitatè, quam ut occupatius viverent; aut ut fructus altitudinem metiantur ac postea, dum ad cacumen pervenire contendunt, cum ipsis ramis decidant. refert de Augusto Sueton. l. 2. de Cæs. c. 20. quod illo, populo neq; carior neq; felicior exstiterit, siquidem in tantum pacis amantè eum fuisse, ut nunquam nisi gravissima de causa belli adisset pericula. Contrà quale Galli victoriæ reportavère præmium, in propatulo est, dum gustato Italiæ vino, omni destituti causa alia, Italiam bella intulerunt, nimirum pro vino Italico sanguinem mutarunt proprium Liv. l. 5.

#### XLIV.

Ac licet Magnates injurias more humano ægrè ferre didicerint, non tamen ea propter armis statim illas propulsandas esse existimant: verum æquo cuncta prius perferenda animo, nec una statim relæsi, in bellum proficisci, ac multis tandem offensis redire. Denique omnibus adhibitis remediis, ubi perdere suam deprehendunt operam, ex æquo se suosque defendere tenentur subditos. Quapropter felicia bella quæ justa sunt Liv. l. 2. Justum autem est bellum quod necessarium & pia arma, quibus nulla nisi in armis spes relinquitur, id. Liv. l. 9. aut quod pro fide aut Salute Reipub. geritur. August. l. 22. de civ. Dei. c. 6.

D

Postea



## XLV.

Postea quoque de viro aliquo idoneo Princeps sit sollicitus, cui imperii habenas demandare valeat; in primis autem qui scientiæ rei militaris peritus, virtute singulari, autoritate & felicitate polleat; in quo labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo eluceat. Qui secundum Livium, corpus habeat validissimum, arma apta, animum paratum ad subita imperia: qui famam divitiis anteferat: cum deceat animos generosos parvi incrementa opum, magni verò famæ immortalitatem æstimare. Veterum Romanorum non magis intueatur, quàm imitetur exempla, qui gloriæ in tantum avidi fuere, ut nullum laboris præmium aliud spectarent, quàm cognomine subactæ provinciæ donari.

## XLVI.

His tandem adjungitur militum conductio, quos in tempore conscribere Principi expedit, ut eorum operâ uti valeat, cum sibi opus autumat. Milites verò alat non tam quibus Lingua ad temeraria prompta, quam quorum manus in pugna vigeant. Qui in ipso exercitus discrimine fortissimi, ante discrimen paratissimi. Sanè si hodiernorum nostrorum militum conditionem paulo altius nobiscum animo reputemus, eorum mores magis deplorari, quàm honestè memorari possunt: siquidem degenerarunt à robore & virtute, voluptatum assuefactione Tacit. 2. *hist.* Galeatis verò non multum videntur absimiles leporibus, quibus præclara ad populandos finitimorum agros, tecta urenda & capienda pecora vis, in acie verò & signis collatis nulla ferè aut exigua plerumque esse solet. Imò quod deplorandum contra militum audaciam hodierno seculo nullius res tutas fore, domum clausam, vitam septam, pudicitiam munitam, quin insuper maxima horum pars suam contemplans frequentiam, à disciplina desciscit, & quod capere se posse existimat, rogare non sustinet. Hos tales diris omnibus Princeps devovendos putet, ac eligat, qui animi præsentiam in periculis cum ratione conjunctam habeant; quorum mores probati, qui pietatem colant, laborem non fugiant; quibus sudor & pulvis jucundiora epulis. Qui legum metuentes, in hostes audaces, in quævis patienda minimè tremantes.

## XLVII.

Ut autem virtute & probitate spectabiles Princeps habeat milites,



lites, disciplinam ante omnia fovere debet, quâ eos intra obedientiæ terminos retineat, ne laxis licentiæ habenis, in omne vitiorum genus dilabantur & excurrant: siquidem præcipuum est decus & imperii stabilimentum militaris disciplina. Duces ad revocandos pristinæ militiæ mores seridè admonere debet, ut nulli errantium ignoscant, sed omnes culpas militares, legibus vindicet, siquidem aspero & abscisso castigationis genere militaris indiget disciplina, quia vires armis constant, quæ ubi à recto descivere tenore oppressura sunt nisi opprimantur. Val. l. 2. c. 2.

#### XLVIII.

Deinde, cum impossibile sit simul pugnare & cum natura & cum hoste Keckerm. l. 1. pol. c. 30. cogitandum quoque est Principi de militum stipendiis. Nam in duobus potissimum ejus consistit Potentia, quibus conservatur atque augetur: Milite videlicet & pecuniâ; quorum unum absque altero constare nequit. Idcirco diligenter ei perspicendum ut ærarium publicum sit pecunia referunt, qua miles alatur, bellumq; perficiatur. Attendendum tamen, ut cuncta hæc expediantur absque subditorum inprimis jactura & damno. Huc enim referuntur contributiones quæ subditis imponendæ, non ut spoliariû civium cunctarumq; rerû præclarum receptaculum, sed tanquam pacis precium: unde quæso excrescat arbor, si unâ cum radice evellatur? animadvertendum denique ne nimis crebræ fiant, ac postea sub necessitatis publicæ velo avaritia & rapina latere depræhendatur. Sed tributa cum hac moderatione à subditis exigenda, ut illos ab hostibus Imperantes liberent, & contra Tyrannos defendant. Ant. Gueu. Horolog. Princip. l. 3. c. 2. n. 455.

#### XLIX.

Subditi itaque sui hac in parte memores erunt officii, nec Principi unquam tributorum exactionem recusabunt, modo in Reipub. usum instituatur, ut aut in pace tranquillè sub ejus tutela vivere, aut violatâ, pristinam his tranquillitatem inducere valeant. Huic rei viros peritos & fideles præficiat; qui tributa exigant, sintque bonorum communium, non suorum custodes & dispensatores ut loquitur Arist. l. 5. polit. c. 11. quibus probè injungat, ut æquali libra exactiones ponderent, nec hunc sublevent, alium premant, sed æqualitatem servent.



L.

Ad extremum suam Regens revelabit prudentiam, & quidem 1. ante victoriam; ut contra hostes magis orando, quàm feriendo pugnet: cum à DEO solo promanet victoria, ut regius Psaltes testatur *Psalms. 118. vers 16*. Illum itaque prius suis fatiget precibus, deinde subditos quoque ad suas effundendas compellet. Lacrymæ enim quæ ex compunctione cordis veniunt, & inimicum vincunt, & nobis donum lætitiæ triumphalis acquirunt. *Fulg. Epist. 30. 2.* in ipsa victoria severitatem abditam patiatur, clementiam verò in promptu habeat. statuens, eam demum præclaram victoriam, ex qua plus clementiæ quàm crudelitatis remaneat. 3. Post victoriam caveat, fortunâ aspirante, ob felicem rerum exitum insolescere; sed secum potius expendat humanos & communes casus; atq; DEO soli prosperum hunc belli eventum adscribat, eiq; cum toto populo dignas persolvat gratias, ac eâ cautè & modestè utatur, existimans rem gravem esse, magnam concoquere felicitatem.

---

## QUÆSTIONES.

I.

*An Magistratus, an verò Subditi priores existiterint?*

Distinguiamus inter prius naturâ & prius tempore. Subditi priores fuerunt regentibus ratione temporis, quia Reges omnes ab initio liberis subditorum votis electi fuerunt. At posteriores sunt regibus, naturâ; Nam actio (secundum logicorum & Metaphysicorum axioma) naturâ prior est passione.

II.

*Quenam ex tribus istis Rerum publicarum formis, Monarchia, Aristocratia & Democratia, sit præstantissima, ceterisq; preferenda?*

In hujus quæstionis decisione, communem sequimur Politicorum sententiam, atque pro Monarchia pugnamus, quæ ut origine prima fuit *Arist. 1. polit. c. 2.* ita quoque simplicissima & reliquarum quasi mater censenda: *Arnise. 1. 1. polit. c. 9.* Quæ numero isto



isto præstantissimo & simplicissimo unitate videlicet, multitudinem subditorum ad naturalem reducit unitatem Keckerman. *l. 1. polit. c. 1.* meritoque reliquis ante ferenda, hac tamen adhibita distinctionis cautela, ut id quod sua natura & per se præstantius est separemus ab eo, quod vitæ humanæ & humanis inservit imbecillitatibus.

III.

*Succeſſione an Electio præſtet?*

Quæſtio hoc ſeculo valdè controverſa, adè ut politici ſibi de hac conſtare non videantur, dum hic huic, alter alteri parti patrocinatur: nos tamen ſtatuiſmus habendam eſſe receptæ conſuetudinis rationem; ita ut eligantur Reges in regno electio, ſuccedant in regno ſucceſſivo. Etenim quæ ſuo in ſtatu manent, eademque etſi deteriora ſunt, ſunt tamen Reipub. utiliora his, quæ per innovationem vel meliora inducuntur: Præſentia enim ſi ſine ſcandalo mutari nequeunt, ſunt ferenda Cic. *2. de divin.* Reſpiciendum tamen eſt ad Monarchiam perfectam & imperfectam, ubi in hac forſitan prærogativam quandam electio tenere poteſt.

IV.

*An Princeps alienus à religione legitimus ſit cenſendus?*

Affirmatur: talis enim Rex ſive Princeps nunquam illegitimus neque pro Tyranno habendus, nec contra eum inſurgendum, modo publicam hic foveat honeſtatem & utilitatem, cujus gratiâ maxime & primariò conſtituitur. Siquidem Chriſtiana religio honeſtatem haud unquam tollit, neque politias ad bonum civile & honeſtatem compoſitas, quæ ad pietatem tanquam finem eminentiorem adè reſtrictæ non ſunt.

V.

*An diverſæ religiones in Repub. tolerari poſſint?*

Summiſ fanè exoptandum eſſet precibus, ut una in Repub. & quidem Chriſtiana obtineat dominium, atque ſecundum Apoſtolum *Act. c. 4. verſ. 32.* Multitudinis credentium cor ſit unum &



anima una. Cum felix in super prædicanda Respub. & beata civitas, verâ sanioris doctrinæ luce collustrata; nullumque firmitus unquam sperandum concordia & unitatis vinculum, quam si in unâ verâque religione unanimo animi consensu cives invicem devinciantur. *Belold. diff. de Educ. p. 80.* Ast religio una, cum forsitan in imperio facilius optari, quàm sperari valeat, summis Magistratui suademus anniti viribus, ut vera & una veri DEI, quoad fieri potest, propagetur religio, eaque contra injurias & oppressiones hostium defendatur; ita tamen ut pax publica non turbetur, sed injusta nonnunquam justissimo præferatur bello. Quapropter sapientissimum prudentes rerum pub. Gubernatores, imitari debent *Nauclerum*, qui, cum horrenda obstante tempestate navim, quò cupit, flectere nequit, qua potest via insistit, atque procellis & tempestatibus aliquando obtemperat. Pari ratione & Magistratus Politicus, diversæ religionis cultores probè secerni & sibi illos persuasos habere debet, an forsitan lethale illud suum superstitionis venenum, inter subditos vero imbutos DEI cultu spargant, quod si ingravescere malum hoc videant, putridum potius præcidentum est membrum ne pars sincera trahatur: attamè fraterne prius potius admoneantur. Sin verò pacatè & tranquillè vivant, tùm spe conversionis, tùm publicæ pacis gratiâ tolerari possunt.

## VI.

*Possunt ne cogi Subditi ad religionis negotium?*

Negamus simpliciter, & cum Rege Stephano dicimus: DEUM tria sibi peculiariter in humanis reservasse: ex nihilo aliquid creare, nosse futura, conscientias dominari. Itaque universa ut certis subjiciuntur legibus, sola & unica nec cogi nec imperari potest religio. id quod ipsius docet Christi exemplum: Nam posteaquam Samaritani eum recipere noluerunt, existimabant humana ratione Jacobus & Johannes eos perdere, ideoque ad Christum dicebant, Domine vis, dicamus ut ignis de cœlo descendat, atque illos consumat? At Christus eos increpavit dicens: Nescitis cujus vos estis; Spiritus? Filius enim hominis non venit ad perdendum animas hominum, sed ad servandum. *Luc. 9. v. 45.*

*An li-*



## VII.

*An licitum sit subditis resistere Principi?*

Nescio quò me vertam ne vitatâ Charybdi, in Scyllam incidam, siquidem periculi plenum est disputare de iis, qui amputare possunt. at præeunte sacra nobis scriptura, facile omne evadam periculum; Petrus 1. epist. cap. 2. vers. 13. seriò nos admonet ut pio & impio pariter Regi præstemus obœdientiam inquit: Subditi esto te cuivis humanæ creaturæ propter Dominum; sive regi tanquam præcellenti; sive præsidibus; Itaque temerè resistendum Principi non est, quia omnis Magistratus quatenus Magistratus, in se habet aliquid divinum, dum DEUS præficit imperiis Reges & Principes, pro ut ei placet, cui nihil injustum placet; ideoque præclari hujus ordinis confusiones non vult nec approbat, multò minus adjuvat, etiam si permittat, certas tamen collocat metas, quas egredi minime fas est. Sin autem res eò redacta videatur, ut non nisi in armis spes relicta fuerit (quod tamen nunquam, aut rarò tentandum) id solum jure naturæ & vitæ defensionis gratia contra manifestam Tyrannidem fieri debet, verum ita ut novies ictus excipiantur, antequam lethalis inferatur. Quo in casu non quidem multitudinem adversus Principem excitamus, sed optimatibus & Ephoris atque omnibus iis, in quos publico consensu potestas publica in ea Reipub. necessitate collata, rem totam commendamus. attamen attendant, ne humores moveant in corpore caco chymo. Quibus simul conniventibus & consentientibus cum Rege, illud Christi privatis injungimus, in aliam vos recipite civitatem, si fugere prohibitum, vitæque potius renunciate quàm DEO; Præstat enim crucifigi quàm denuò Christum crucifigere.

## VIII.

*An ad Principem cura Ecclesiastica pertineat?*

Propriè Ecclesiastica Principem non stringunt. Quia spiritualis contemplatio & administratio civilis, minime conjungi debent nec possunt: ne si utrumque voles, utrumque perdas: Bernh. l. 2. Diversa enim objecta diversum arguunt officium. Sacerdotis autem rerum divinarum est contemplatio: Principis verò rerum hu-  
mana-



manarum actio. Idcirco in Politico foro constitutus, stationem suam nunquam egredi debet, nisi quousque ei concessum; illuc enim non hominum suffragio, sed ipsius DEI consilio se constitutum sciat; adeoque haud Spartam suam prodat; sit morum bonorum Ephorus, Cultus divini custos, Justitiæ defensor & administrator. Contrà ecclesiastica curet, qui ad Ecclesiam vocatus, nec falcem suam unquam in alienam messem immittat, nisi quousque ei suum permittat officium: audiat ipsius Christi vocem, Reges gentium dominantur, & qui eas in potestate sua habent benefici vocantur: vos autem non sic: *Matth. 20. v. 25.*

IX.

*An Princeps legibus sit solutus?*

Distinguiamus I. inter Potentiam ordinariam & extraordinariam. Respectu ordinariæ, Princeps legibus solutus non est; siquidem non destructor sed legum exsequutor, esse debet. Respectu verò potentia Extraordinariæ solutus est legibus, sed civilibus, non item naturalibus: quæ, ut divinâ sunt sancitæ providentiâ, æquè Imperantes quàm subditos stringunt. 2. Inter legum vim duplicem Dirigentem nimirum & coërcentem. Dirigens omnem in genere hominem stringit, adeoque ipsum quoque Principem, & huc referri optimè potest illud Theodosii Imperatoris, inquitentis, dignam esse Majestate regnantis vocem, legibus se alligatum profiteri. Coërcens verò Principem non obligat, sed hac tanquam instrumento agit in subditos, nunquam autem instrumentum in semetipsum agit.

X.

*An pecunia recte nevus belli dicatur?*

Quanquam virtus, præcipua belli causa, adeoque cor caputque; ejus perhibeatur; imò ipsæ manus pedesque; attamen ei quoque pecuniam adjungimus. Etenim manus atque pedes nunquam suo fungentur officio si nervis destituti fuerint: similiter quoque Miles virtute, manuque suâ hostem nunquam solum vincet, nisi pecunia adsit, quâ ejus sublevetur corpus atque sustentetur; nisi fortè naturam vincere, quod vix reor, didicerit. Itaque distinguimus inter causam belli principalem, quam virtutem; & instrumentalem, quam pecuniam statuimus.

Atque hæc in præsentiarum scripta sufficiant FINIS.



Præstantiff. Dn. Respondenti

Amico percharo



*Principis ergò boni certam describis  
idéam?*

*Hunc da, & gratam mihi secta Pla-  
tonis erit.*

M. JOH. CONRADUS DANHAUWER,  
P. L. Et P. P.

**P**RINCIPIS officium quod sit, quæ functio vera,  
Schvopius hoc thesibus strenuus hisce docet:

(Schvopius ingenio nulli fortasse secundus  
Schvopius ingenua mentis & artis amans;

Schvopius, insignis medicæ Doctoris in arte  
MÜNCEŒ observans, quem vicè patris habet;

Σχβώπιος εὐσέπλις τέκνον πολὲ πατρὸς ἀρίστον

σχβώπιος ἐν πολλοῖς πάλωλε μοίγε φίλ(τ.)

Quas ubi lustrâris lector reverenter habende,  
Invenies illis absoni inesse nihil:

Semideus PRINCEPS etenim est, DEUS imò vocatur  
Terrenus; velut hoc pagina sacra probat.

Tales SEMIDEOS, summus DEUS ille Deorum  
Concessit Slesicis, non sine fruge, plagis:

Talem SEMIDEUM Lygio Bregensibus, hincq;  
BICINÆ patriæ contulit ille meæ

Talem SEMIDEUM, tu SCHVOPI, suspice, talem  
Devotâ semper mente verere DEUM;

Tali, quâ poteris vitæ ratione placere

Gnavus in Argyropes mœnibus hisce place,

Non imitare malos furiatâ mente Choræbos

Qui Veneris Sponsi, Penelopesq; proci

E

Mollis



Mollia qui stolidi nimio multitia luxu  
 Gestant, atq; comam more Thraſonis alunt:  
 Et niſi Santonicis ſint tecti bardocucullis  
 Cercopithecorum clunibus inſtar eunt.  
 Quiq; per ingluviem poſtquam ſua nomina cernunt  
 Extare in tabulis, facta nefanda patrant:  
 Quiq; domum ad patres mendacia putida ſcribunt,  
 Lethali ſe ajunt decubiſſe malo,  
 Et Sacram in lecto (falſo) accepiffe Synaxin;  
 O ſcelus! ac ſi eſſent Parca in agone trucis,  
 Quiq; ubi ſe norint Gyaris & carcere dignos  
 Tunc pedis oſtendunt præpete crure volam.  
 Et ſimul Autolyçi ſubeuntes caſtra rapacis,  
 Dignum cum Tityo poſtea nomen habent.  
 Tales tu ſemper Schvopi vitare memento  
 Talis ut Belial nullius aſſis habe:  
 Sed preme perchari gnavus veſtigia Patris,  
 Et fac quæ pietas enthea facta jubet:  
 Sic tibi Semideus clementi mente favebit:  
 Sic DEUS ex altis proſpera mille dabit.

εὐνοίας ἐρεξεν

M. PAULUS GNILIUS Bicina-Sil.  
 Præceptor Classis Tertię.

**T**U Principem, mi Schvopi Amor unice,  
 Et ſcribis, & per pulpita diſſeris;  
 Illumq; dedis Principi, ſub  
 Stamina, quo tibi Numen olim  
 Vita tulit. Ne laudibus inclutis  
 Dignum hocce factum eſt: Terrigenis Diis,  
 Focis & aris quos præeſſe  
 Conſtituit DEUS, obruliſſe  
 Grates perennes. Dona perennia  
 Decent Duces hos, quorum Animus cluit  
 Rerumq; prudens, & ſecundis  
 Temporibus dubiisq; rectus.

Quam



*Quàm saepe vidi Bregæ oculis meis,  
Hunc Principem pulsare prece intimâ  
Cælum, præire ardenter atq;  
Cantibus haut homini secundum.  
Præfisciné: ( ulli obtrudere palpulum  
Nolo, sed adsum promere cognita.)  
Quem Principem delineasti,  
Tali etiam tua dextra dedit.*

Hæc Præstantissimo Dn. Respondenti  
Amicitiaæ ergò apposuit.

DAVID Puschman/Bolesl. Sil.

JOANNES BAPTISTA SCHWOPIUS..

Per Anagr.

Oh ista subî; tu cupis fanè bona..

**N**Æ cura dulcis, dulce periculum,  
Sequi DEARUM castra Novensilûm:  
Sudore multo, laude multâ  
Stant sua præmia militanti,  
Non conterendum tempus inaniter,  
Non ambienda mollis inertia:  
Per dura virtus per labores  
Ad Jovis incluta scandit aulas.  
Insta ergo, & ISTA fortiter OH SUBI!  
Tu docte SANE JANE CUPIS BONA.  
Nam Diva nec soles laborum  
Nec vacuas finit ire Pallas  
Noctes. Adornat splendida præmia,  
Jovis nec ipsi credita Filio.  
O ampliori forte gaude!  
Durat honos studiis perennis.

F.

Honoris & Amoris ergò  
SAMUEL PORLITZ Silesius.

F I N I S.








X 2615926

VDA7












B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



W 18



HISTORICO-POLITICA DE

1630/1

PRINCIPALE OFFICIO.

QUAM,

OPTIMO MAXIMO

USPICE,

ÆSIDE

ssimo Viro,

IA BERNEGGERO, PROFESSORE ORDIN.ifico, Præceptore suo observantoratensi Universitate.

minandam proponit

PTISTA SCHWOPIUS ga-Silesius,

A. & R. Decemb. Novo, Mense Octobr. die. 21.

☉☉☉☉☉☉☉☉☉☉

☉☉☉☉☉☉☉☉☉☉



NTORATI.

S REPPL. ANNO M. DC. XXX.

